Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Vulpibus Simsonaeis Ex Jud. XV.4

Gebhardi, Brandanus Heinrich
Taege, Gottfried

Gryphiswaldiae, 1718

VD18 11425202

Cap. II. Oftendit vocem [...] non notare acervum manipulorum

urn:nbn:de:bsz:31-130372

Visual Library

CAP. II.

Oſtendit vocem שועל non notare *acervum manipulorum.*

DUm hæc ſcribimus, venit forte in manus noſtras ſcriptum qvoddam gallicum, aliam loci hujus exhibens interpretationem, æqve in textum injuriam, Titulus eſt: RENARDS DE SAMSON: Argumentum: *Samſon ne prit pas trois cents renards, mais il attaqva trois cens gerbiers de ſes enemis, les qvels il brule.* Mens Domini Autoris huc redit:

Poſteaqvam Philiſtæi Simſoni nuptam rapuiſſent, ille vindicandi ſui copiam ſummo ſtudio captavit. Commodam autem ultionis occaſionem ipſi Philiſtæi ei ſubminiſtrarunt, cum in meſſe ad viciniora loca comportaſſent trecentos manipulorum acervos, non ſine magno labore. In hos igne comburendos ſtatim animum itendit. Noctu itaqve, cum forte feſtum agerent Philiſtæi, magno animo negotium aggreſſus, extremum manipulum de qvoqve acervo cepit, in terramqve projectum ita collocavit, ut bini manipuli ex altera parte ſeſe invicem, ex altera vero ambos acervos, de qvibus ablati erant, contingerent. Hoc ipſo tantum temporis lucratus eſt, ut loco trecentorum acervorum tantum centum & qvinqvaginta ſuccendere neceſſe habuerit. Medio autem loco, qvo duo in terram projecti manipuli ſeſe contingebant, ſtravit materiam qvandam combuſtibilem, picem, linum aut cannabim: idqve fecit per centum & qvinqvaginta ita conjunctos acervos. Hoc facto omnes agros, in qvibus acervi hi collocati, obiens, ignem, qvem hactenus aſtute abſconderat, miſit in materiam illam combuſtibilem, qvam ea parte poſuerat,

erat, qva duo manipuli sese contingebant. Unde factum, ut centum & qvinqvaginta manipulorum acervi uno fere momento in cineres redigerentur, cum ignis in medio duorum manipulorum positus ex utraqve parte inventum acervum depasceret, non sine maximo hostium damno, siqvidem flamma vento adaucta in frugem adhuc nondum demessam & vicinas arbores, imprimis in oleas qvæ intra segetem erant satæ more orientalibus consveto, sese conjecit.

Hæc est Anonymi Autoris interpretatio. Qvo loco ea sit habenda facile apparebit, si eam ad textum applicabimus. Primo ponit *Philistæos collegiise in sua messe ex pluribus agris manipulos frumenti in trecentos acervos, & collocasse au lieus voisins, in loca vicina, qvo factum, ut Simson copiam nancisceretur eos incendendi.* Ubinam hoc legitur in hac historia? Qvænam sunt illa loca viciniora, in qvæ acervi fuere comportati? Utrum Judæis an Philistæis? Si Judæis, qvid causæ erat eos manipulos ex remotioribus agris comportare in arva Simsoni viciniora? Qvare non reliqverunt qvosqs manipulos in iis agris, in qvibus erant demessi, unde propinqviori via frugem devehere poterant in sua oppida? Qvo consilio, qva spe susceperunt laborem tam inanem, tam præterea molestum, qvi plurium dierum reqvirebat spacium? Imo tam sibi exitialem, tam Simsoni, qvem occasionem ulciscendi sui qværere sciebant, proficuum? Si Philistæis viciniora intelliguntur: qvis credat Philistæum ex suo qvemqve agro segetem prius comportasse in alios agros & non recta devexisse in suas villas? Cuinam hoc commentum fiet verisimile? At substernendum tamen erat toti interpretationi, alias genuina significatio זנב vocis *cauda* non potuisset depraveri.

Deinde supponitur *noctu* incensam esse frugem & *in festo qvopiam*; qvanqvam posterius tamen cum dubitatione qvadam asseratur. Neutrum est in textu. Infert utrumqve Dn. Autor, ut ostendat Samsonem consilium suum tanto felicius perficere potuisse, cum noctis tenebris tegeretur, Philistæiqve in festo celebrando

occuparentur. Qvod si utramqve circumstantiam temporis ponamus, (neqve enim eam temere negare possumus, etsi scripta non est aperte, cum in recensendis historiis multæ sæpe omittantur circumstantiæ) tamen non multum inservire poterat celando consilio Samsonæo. Qvis qvæso credat Philistæos acervos illos frugum, qvos non sine labore ex pluribus agris comportatos esse scribit, Dn. Autor, sine custodibus reliqvisse? Aut si custodes frugi collectæ non fuere appositi, annon erant in speculis observatores, qvi per omnes vinearum agros oculos circumferebant, cum speculæ in editioribus locis poni solerent? annon erant pecudum custodes in agris veluti ἀγραυλοῦντες? Qvid qvæso noctu in agro fieri poterat, qvod his custodibus maneret ignotum? Annon statim ad visam primi manipuli flammam signum fuisset datum excubias agentibus ad impediendam inflammationem acervorum reliqvorum? Nam qvod ait Dn. Autor, Simsonem omnes trecentos acervos uno momento in cineres redegisse, hoc fieri nullo modo potuit, cum uno momento omnes agros, in qvibus acervos frumenti prius conjunxerat, obire non posset. Pono comportatos fuisse manipulos in agros urbi cuidam Philistæorum viciniores, an latere poterat factum Simsonis excubantes in portis? Nihil ergo nocturnum tempus profuit consilio Samsonis promovendo, præcipue cum flamma nocturno tempore multo sit spectabilior qvam diurno? At etiam hæc temporis circumstantia in textum inferenda erat, alias non potuisset acervos frumenti ope binorum manipulorum satis solerter conjungere. Ostendemus autem & illam conjunctionem neqve in textu præsidium habere, nec ulla extra textum niti verisimilitudine.

Noctu ergo egressus Simson comportatos a Philistæis acervos manipulorum invenit, inventos adoritur igne destructurus: *En ayant donc trouvé trois cens, il les attaqva avec une grande resolution pour ruiner de cète maniere une tres nombreuse qvantité de blés.* Hic duarum vocum genuina significatio pervertitur, qvarum altera est וילכוד altera שועלים, illa proprie & *cepit* notat; hæc, *vulpes*. Illa vertitur & *adortus* est, hæc *acervos manipulorum*. Nulla versionis hujus tam peregrinæ ratio ex Hebræo codice adducitur.

Qvod

Qvod propria verbi לכד significatio sit *cepit*, *illaqveavit*, & de hominibus, urbibus ac bestiis usurpetur, supra ostensum. Nunc *invadendi* sensus ipsi imponitur, sine scripturæ suffragio. גפע notat *invasit*: at hic לכד legitur: qvare huic verbo sua non relinqvitur propria *capiendi* significatio? Et qvid *invadendi* sensus ad frumenti manipulos, cum verbum illud reqvirat objectum terribile, qvod vim vi opponere possit? Qvid opus erat Simsoni tanta fortitudine ad adoriendos innoxios frumenti acervos, cum tanta esset in agris solitudo, cum qvidqvid agebat, ageret nemine videnre & conscio, *Adjutus tenebris & dono noctis opacæ*? Hos ergo manipulos aut manipulorum acervos formam prius terribilium hostium induere oportebat, ut objectum acerrimæ invasionis Simsonæ statui possent. Vah qvam incongrue!

Hostes, qvos invasit Simson, dicuntur in textu שועליבמ Qvidnam significat *schualim*? *SCHUALIM* inqvit Autor *est vox æqvivoca, posita au lieu de schoalim, qvi signifie proprement des gerbiers, dont toute l. histoire traite.* Si vox æqvivoca est & modo *vulpem* modo *manipulum* aut *les gerbiers*, *manipulorum struem* notat, probanda illa æqvivoca significatio ex Hebræo codice est. Ubinam ergo notat manipulorum congeriem? Mirum est antiqvos Judæos illam significationem nesciviſse, alias ea voce commodissime uti potuissent, in tractatu Seraim, ubi tamen manipulum עומר congeriem manipulorum גדיש appellant. Et qvo ore dici potest *Schoalim* proprie *manipulos notare*? conf. supra Thes. II. exc. 4. Apertum est nullam dati sensus probationem ex sacris adduci posse. Qvæ ergo ratio movit Dn. Autorem hunc tam omnibus Judæis pariter ac Christianis ignotum sensum voci dare? Respondet Dn. Autor: *Il faut expliqver les mots au dessein & a la matiere presente & a la svite du discours.* Qvæ qvæso urgens ratio ex textus συναφεία depromi potest, qvæ a genuina vulpis significatione hic jubeat discedere? An ergo vulpinæ caudæ nullo modo potuere esse incendendæ segetis instrumentum? Si vox æqvivoca est eam seligendam esse notionem concedimus, qvam scopus & connexio textus postulat: At negamus *Schual* esse vocem æqvivocam,

vocam. Significatum *struis manipulorum* nec probavit Dn. Autor hactenus, nec probabit unqvam. Imponere autem voci pro lubitu sensum, per qvietem forte oblatum, non est interpretis boni.

Supposita vocis שועל æqvivocatione receptæ hactenus loci interpretationis originem nobis exhibet Dn. Autor ita scribens: *Ce qvi a seduit les interpretes a éte la conduite des anciens Juifs, dont la coûtume étoit de chercher sous des mots éqvivoqves un sens hieroglphiqve ou mistiqve. Ainsi en céte histoire les anciens tacherent d' insinuer ou persvader aus lecteurs qve Samson trompa ses énemis, les Philistins, rusés & trompeurs, qvi l' avoient trompé en sa femme. C' est pourqvos ils dirent: SAMSON CHASSA LES RENARDS. C' est a dire, Samson prit ses énemis les Philistins, les trompeurs, leur causant un si grand dommage.* Non satis capio, qvosnam hic Dn. Autor intelligat per antiqvos Judæos. Utrum illi sunt ipsimet Scriptores θεόπνευστοι, qvi historiam hanc consignarunt Dei acti Spiritu? an sunt interpretes Judæi antiqviores? Si illos notat, qva audacia asseri potest, S. Prophetas dedita opera usurpasse voces æqvivocas, ut sub iis duos sensus celarent, alterum literalem, alterum mysticum ac hieroglyphicum? Qvibus qvæso Scripturæ exemplis ille Prophetarum scribendi mos probabitur? Qvid magis perspicuitati Scripturæ incommodat, qvam hæc assertio? Qvis unqvam nostratium docuit mysticum sensum per verba ac voces proxime innui? Si vetustiores intelligit interpretes, aut eorum scripta adhuc sunt in nostris manibus, aut sunt deperdita. Si illud, qvare Dn. Autor probationem jactatæ æqvivocationis non adducit ex scriptis ipsorum? Si hoc, qva fronte affirmare potest, antiqviores Judæos æqvivocum sensum in voce agnovisse, cum Scripta eorum non legerit?

Et qvid est, qvod majorem speciem imposturæ habeat, qvam hæc tam audax assertio? Interpretes moderni dicuntur seducti esse ab antiqvis Judæis sensum mysticum tradentibus; hunc arripuisse recentiores neglecto literali: Hinc esse, qvod omnes verterint *VULPES*. Primo falsum est antiqvos Judæos duplicem hunc sensum in voce שועל tradidisse. Tradere non potuerunt, qvia non est

est fundatus in Hebræa Scriptura. Pono tamen tradidisse, pono utrumqve sensum vere voci inesse, qvis obsecro credat tantam Interpretum nubem, qvi inde a LXX. Interpretibus usqve ad nostra tempora in tradendo vero Scripturæ sensu fuere occupati, arripere sensum *VULPIS* voluisse, si illum alterum, qvem Dn. Autor tradit, magis vidissent qvadrare ad contextum? Recte monet Autor, *il faut expliqver les motsau dessein & a la matiere presente & a la suite du discours.* Recte, inqvam, si voces sunt æqvivocæ. Qvis animum inducat ita omnes, tam recentes qvam vetustos interpretes unanimi consensu hic dormitasse, ut sensum vulpis textui obtruderent plane invito? Duæ sunt propositiones evidenter oppositæ. *Simson cepit trecentas vulpes*, & *Simson adortus est trecentos manipulorum acervos.* Utramqve ferre contextus non potest. Alter-utram ergo in textu esse necesse est. Utra ergo? Annon ea, qvæ magis est propria? Spuria ergo erit, qvæ manipulorum strues nobis exhibet, cum manipulorum acervi non dicantur capi, non dicantur caudas habere, in caudis gerere faces, immitti in segetem. Hæc non conveniunt in acervos manipulorum. Ergo, si fingam, voci שועל etiam sensum struis frumentariæ competere, tamen ille hic bonis interpretibus in mentem venire non potuit; Eorum enim est sensum vocum proprium seqvi, præsertim in narratione historica. Qvam absonum ergo est ipsos hic seductos esse dicere? Qvid? qvod vulpium nomen in Philistæos non cadit. Nunqvam Philistæi fraudem in Simsonem aut Judæos intenderant. Neqve hic dolo opus erat. Dominabantur Judæis. Vi ergo aperta ipsis, qvotiescunqve volebant, poterant nocere. Neqve Socer fraude usus erat ad circumveniendum Simsonem. Conjugem ipsi raptam alii dederat viro, qvam injuriam aperte fatetur v. 12. Qvid vulpini inerat in hoc facto? Ipsi damnant Philistæi tanqvam apertam injuriam v. 6: Nec Simson dolo nixus Philistæis damnum intulit, sed fortitudine. Vulpinis caudis usus est ad incendendam segetem, non vulpina fraude. Latrunculorum & furum solertiam a se tanto heroe prorsus voluit esse amotam. Non ergo locum hic inve-

invenit dicterium : SIMSON VULPINATUS EST CUM VULPIBUS.

Porro Simſon deprehenſis hoſtium ſtruibus frumentariis *il s'en alla pendant l' obſcurité de la nuit de champ en cham, & de monceau en monceau, & prit de chaqve gerbier une gerbe & la jetta en longueur a terre, contre le plus proche gerbier, tellement qu' entre deus gerbiers ou deus monceaus il y avoit deus gerbies de communication qvi ſe touchoient a' un bout, & de l' autre touchient les deus gerbiers.* Hic primo ſupponitur acervos frumentarios a ſe invicem non niſi duorum manipulorum longitudine diſtitiſſe. Ea vero diſtantia ponenda erat, alias excogitata manipulorum conjunctio non potuiſſet aptari ad textum. Duæ enim caudæ conjunctæ leguntur, non plures. Omnes ergo acervi æqvali latitudine diſtabant. Mireris caſune hoc factum, an de induſtria, an ex ſingulari directione Dei. Deum ita direxiſſe, vix perſvaſeris Atheis. Nam Athei propterea vulpes in hoc textu pati non poſſunt, qvod iis ſingularior Dei ad totum hoc negotium concurſus non ſit veriſimilis. Qvod ſi forte duo acervi latius interſtitium habebant, qvam ut ope duorum manipulorum conjungi poſſent, prætereundi illi Simſoni erant ſcilicet. Eam enim conjunctionem, qvæ ope trium aut qvatuor manipulorum fiebat, etſi æqve commode inſervire poterat ſcopo Simſonæo, tamen non patitur textus. Qvid obſecro opus erat duos manipulos inter binos qvosqve interjici acervos? Vix tres aut qvatuor ulnas duorum manipulorum continet longitudo. Si acervi tam anguſto ſpacio a ſeſe invicem diſtabant, qvid tam ſollicita conjunctione opus erat ? Si vel unum incendiſſet acervum, omnes conflagraſſent facillimo negotio: Ita exiguum ſpacium erat inter qvosqve. Si ſex vel decem manipulorum ſpacium inter qvamqve ſtruem fuiſſet interjectum, annon ope ſtipularum deferri potuiſſet flamma ab una ſtrue ad alteram ? Qva qvæſo via devenit in vineas & proxima arboreta ? An & hic manipulorum junctura reqvirebatur ? *Cet' embraſement*, inqvit Dn. Autor, *s' augmenta facilement par le vent qu' il faiſoit, tellement qve le feu ſe jettoit dans les bles voiſins qvi eſtoint encore ſur pied & aux arbres*

bres prochains principalement dans les lieus ou il y avoit des oliviers. Si ergo venti beneficio tantum in arboretis & vineis poterat suscitari incendium, annon sufficere potuisset Simsoni unum aut alterum inflammare acervum & ventorum vi reliqvum permittere negotium omne? Ait Dn. Autor artificium conjungendi acervos per manipulos fuisse Simsoni *un grand menage de tems a sa prochaine execution de bruler tous ces trois cens garbiers.* Volupe est ostendere qvantum illa conjunctio & incensio acervorum temporis postulaverit. Trecentas strues frumenti, ait Autor, fuisse igne consumtas. Interventu juncturæ factos esse ex trecentis centum qvinqvaginta. Intelligendi autem sunt acervi densissimi ex reliqvis agris magno labore in vicina loca devecti, qvorum jactura ad totam gentem pertinebat, de ultione statim cogitantem v, 6. 7. Hi centum qvinqvaginta acervi per jugera distribuendi sunt. In qvovis jugero pono sex acervos. Jugero assigno saltim mensuram stadii, tam iu longitudinem, qvam in latitudinem, qvod alias 240. pedes, adeoqve fere duo stadia in longitudinem habet, 120. vero in latitudinem. Erunt jugera circiter qvinqvaginta. 32. stadia conficiunt miliare germanicum. Complent ergo qvinqvaginta jugera iter unius miliaris germanici cum dimidio. Jam inter qvodqve jugerum interjectæ erant vineæ. Iis tantum dimidii miliaris germanici spacium do. Continebunt ergo hæc jugera iter duorum miliarium Germanicorum. Hoc iter bis obire cogebatur Simson una nocte, primo, cum strues frumentarias per manipulos conjungeret, deinde, cum eas incenderet. Una ergo nocte iter confecit qvatuor miliarium germanicorum. Hoc iter octo horarum spacium reqvisivit. Egregium vero temporis compendium! Quis credat hominem tam prudentem, nec tam ex suo arbitrio, qvam Spiritus S. instinctu rem gerentem consilium incendendæ frugis iniisse tam stultum, tam & inane, qvod ventorum vel centies occupasset celeritas.

Sed & de voculæ שנב significatu genuino dispiciendum. Ait Autor: *le mot SANAB la qveüe signifie dans tout le droit des Juifs la derniere partie de qvéqve chose qve ce soit. Par exemple dans un jardin*

jardin ou il y a de moins cinq arbres &c. le cinqvieme & dernier arbre est toujours apellé la qveve. Ainsi la dernier gerbe desgerbiers mise a terre à été d' autant plus apellé la qveüe, par une elegante & fort propre figure d' oraisont suivant la contume des Juifs. Propria vocis *Sanab* significatio superius adstructa est. Improprie extremitatem rei notare, nemo negat. At qvid hoc ad strues manipulorum? An illæ fuere caudatæ? Non dicitur cauda nisi de re, qvæ aliqva sui parte extremitatem propendentem aut eminentem admittit, ut agmen, botrus, titio, Es. VII. 4. At acervi frumentarii in circularem formam conglobantur, tiaræ aut pilei figuram qvandoqve in apice gerentes non autem caudam in latere. Dicit, non qvidem invenit eas Simson caudatas, sed fecit; dum aliqvem ex ipsis manipulum extraxit ac in terram demisit: Ita repræsentavit acervus figuram caudæ. Qvæso an hoc legitur in textu? Pono per שועלים strues frumentarias intelligi, verba textus ita se consequuntur: *Et cepit Simson trecentas manipulorum strues, & accepit faces, & reflexit caudam ad caudam &c.* Quis ex litera textus augurari potest Simsonem strues ita disposuisse, ut caudatæ apparerent? Apage tam insulsam locutionem ex textu historico.

In eo ergo primum occupatus fuit Simson, ut binos qvosqve acervos caudatos faceret. Qvid porro fecit? caudis hisce acervorum insperfit materiam combustibilem. *Il vit, qu' il étoit encore necessaire qu' au milieu de deus gerbes, il mit qvêqve autre matiere qvi prît vitement le feu, & le communiqvât aus gerbes, comme du lin, du chanvre de la poix ou qveqve autre de semblable.* Novum singularis prudentiæ specimen; Is vero mos est prudentis viri in summa temporis angustia impedimenta qværere non necessaria. Qvid opus erat stramini linum aut cannabim addere? qvid stramine aptius est ad capiendam celerrime flammam? Sed superflua non nocent. Exponenda de hujusmodi re qvapiam erat vox textualis לפיד ne præter necessitatem legi videretur. *Et immisit materiam combustibilem in manipulos* non est in textu: Ita legitur: *Et posuit facem unam inter duas caudas in medio.*

Ita dispositis 300. manipulorum ordinibus *cet homme rusé a-*

vec

vec grand vigueur & courage prit le feu, qvil avoit cache jusqve alors: Et sans que les Philistins s' en fussent apercus, le mit en milieu de deus gerbes, ala dite matiere combustible. Et s' en alla hâtivement par tous les champs, ou il avoit dêia conjoint les monceaus de deus en deus: & il' agit avec tant de promitude & d' adresse & en si bon ordre que tous les cent & cinquantegerbiers furent en un moment redutis en cendres. Si uno momento in cineres redactæ sunt strues frumentariæ, uno momento peragravit qvinqvaginta jugera Simson. Qvis hoc credat? Cuinam obsecro non multo probabilius videbitur celerius cursuram fuisse flammam impellente vento, uni saltem & alteri acervo stramineo immissam, qvam Simsonem, etiamsi alas aqvilæ addidisset pedibus suis? In textu est: *Succendit ignem in facibus, & emisit in segetes Philistinorum.* Hic Simson non campos ipse percurrisse scribitur, sed emisisse in segetes, qvidnam? vel qvosnam? qvorsum referes illud *emisit?* an ad proxime præcedens לפידים, *emisit faces aut materiam combustibilem in segetes?* At eam Dn. Autor non in segetes, sed in duos in terram projectos manipulos, caudas illas conglobatorum struium imissam vult esse. Ergo referenda vox erit ad Schualim. An ergo manipulares acervi emissi sunt in Philistæorum segetes? Qvid dictu insulsius? Age discamus ex hoc prædicato qvid notet *Schualim.* Qvod emissum est in segetes Philistæorum, id per *Schualim* faces in caudis gestantes innuitur. Atqvi globi manipulares qvorum caudis injectum linum, cannabim, picem fuisse ait Dn. Autor, non emissi sunt in segetes Philistinorum: Ergo per *Schualim* non intelliguntur globi manipulares caudati. Damnato ergo peregrino ac spurio acervorum manipularium sensu, retinendam esse censemus genuinam vulpium significationem, qvam & alibi Scriptura tradit & hoc loco textus necessitas efflagitat.

Ut evidentius patescat illata textui huic injuria, opponemus verba textus datæ explicationi:

Textus.	*Glossa gallica.*
1.	1.
Et abiit Simson & cepit trecentas vulpes.	*Et abiit Simson & adortus est trecentos acervos manipulares.*

 2, Et

2. Et accepit faces,	2. *Et accepit materiam combustibilem.*
3. Et convertit caudam ad caudam,	3. *Et convertit extremum manipulum unius acervi ad extremum manipulum alterius acervi,*
4. Et posuit facem unam inter duas caudas in medio:	4. *Et immisit materiam quandam combustibilem in medium duorum manipulorum extremorum:*
5. Postea succendit ignem in facibus,	5. *Postea immisit ignem in materiam illam combustibilem;*
6. Et emisit in segetes Philistinorum, &c.	6. *Ita ignis conjecit se in segetem adhuc stantem &c.*

Incidunt mihi hic B. Lutheri verba, quæ ille in iniquos Scripturæ contortores affert in Tractatu daß die Wort Christi noch fest stehen tomo Jen. III. p. m. 342. Sie sprechen / das Wörtlein / ist / sol so viel gelten als das Wort / deutet / wie Zwingel schreibet / und das Wort / mein Leib / sol so viel heissen als das Wort / meines Leibes Zeichen / wie Oecolampad schreibt / das Christus Wort und Meynung nach Zwingels Text also laute / nehmet hin esset / das bedeutet mein Leib / oder nach Oecolampads Text also / nehmet hin und esset / das ist meines Leibes Zeichen / ꝛc. Ist fürwahr eine treffliche Sache / gleich als wenn ich zuvor leugnet / daß GOTT Himmel und Erden geschaffen / und spreche mit Aristoteles und Plinius, samt andern Heyden / die Welt wäre von ewig her. Es käme aber einer und

hielt

hielte mir Mosen vor der Nasen/ Gen. 1. Im Anfang schuff GOTT Himmel und Erden/ wolte ich den Text also machen/ GOTT/ der solte so viel heissen als Kuckuck/ schuff aber/ so viel als/ Fraß/ Himmel und Erden/ so vie/ als/ die Großmücken mit Federn und mit allen/ daß Moses Wort nach des Luthers Text also lautet: Im Anfang fraß der Kuckuck die Großmücke mit Federn und mit allen/ und müste nicht heissen; im Anfang schuff GOTT Himmel und Erden. Treffliche Kunst were das/ welche auch die Lotterbuben wol könten. Oder wenn ich leugnete/ daß GOttes Sohn Mensch wäre worden/ und jemand hielte mir für/ Joh. 1. das Wort ist Fleisch worden/ wolte ich also sagen/ Wort/ hiesse/ Krumholtz/ Fleisch/ heisse ein Helen/ und müste der Text nun so lauten/ das Krumholtz ist zur Helen worden/ und wo mich hie mein Gewissen wolte straffen und sagen: Du deutest frey dahin Juncker Martin/ aber/ ꝛc. da wolt ich drucken biß ich roth würde und sagen/ schweig du Verräther mit deinem Aber/ daß die Leute nicht mercken/ daß ich so böß Gewissen habe/ ꝛc. ꝛc.

Parum certe artis est textum pervertere, parum solertiæ textui depravato colorem affricare. Nec mihi difficile foret inferre textui excogitatum qvendam sensum, si tam essem fastidiosus simplicitatis. Dico, Schualim, nec vulpes hic notare, nec manipulos, nec manipulorum strues. Non vulpes, qvia capere non possum, qvomodo unus homo potuerit capere trecentas vulpes, animalcula tam mordacia, qvomodo captas, servare, nutrire, colligare, in agros cum facibus immittere: nec manipulos, aut acervos manipulorum, qvia illa significatio prorsus ignota est in Hebraismo, Arabismo, aliisqve lingvis Orientalibus. Qvid ergo hic facto opus est? Dandus tamen sensus est textui. Proinde prædicata primum con-

ſiderenda qvalenam illa ſubjectum poſtulent. Ac illa qvidem poſcere videntur, animatum inſtrumentum, nec id irrationale, ſed ratione præditum, qvo faces aut materia cumbuſtibilis dextre tractari & ſegeti applicari potuerit. Periculum ergo faciendum annona per *ſchualim* poſſint *homines* intelligi? Hic mihi ſtatim ſuccurrit ſcriptura, & offert locum Luc. XIII. 32. ubi Herodes *vulpes* nominatur. Huic fundamento inſiſto, nec dubto aſſerere, qvod etiam in hac hiſtoria per vulpes homines innuantur verſuti, apti ad rem aſtu tractandam. Porro Simſonis perſonam conſidero. Is erat Prætor bellicus, & militem habebat ad ſua arbitria paratum. Jam aggredior interpretationem textus: *Et abiit Simſon*: ſc. ad ea loca in qvibus erant præſidia militaria, וילכוד & *cepit* i. e. & exemit ex iis שלוש מאות שועלים *trecentos milites ſubactiores ac verſutiores.* Qvia eos cum vulpibus comparat recte de ipſis uſurpat verbum venatorium *& cepit.* Exemptos hoſce milites duxit ad confinia agri Philiſtæi, *acceptiqve* לפידים *facibus* i. e. materia combuſtibili, qvalis eſt linum, cannabis, aut pix per metonymiam effectus pro cauſa, materiati pro materia: ויפן *reſpicere eos fecit* זנב אל זנב *ab una extremitate* ſc. agri Philiſtæi *ad aliam* Sanab hic referri non poteſt ad milites neqve inſenſu proprio, ſiqvidem hominibus non competit cauda, neqve in alieno. Abſurdum enim eſt dicere milites ſuam ipſorummet caudam i. e. extremitatem reſpicere juſſos fuiſſe. Cui enim bono? Ergo hoc ad agros referendum. *Car il faut expliquer les mots au deſſein & a la matiere preſente & à la ſuite du diſcours.* Deinde וישם *juſſit eos ponere.* Ita recte verto, non *& poſuit*, ut vulgus interpretum facit, eſt enim Hiphilil. Qvidnam? לפיד אחד בין שני הזנבות בתוך *facem unam* i. e. partem materiæ combuſtibilis, qvam inter trecentos milites diſtribuerat Simſon, ita ut qvisqve haberet לפיד אחד portionem unam, hanc ſuam portionem ponere qvemqve juſſit *inter duas extremitates cujuſqve agri in medio.* Ac ita apte qvidem, ut materia illa combuſtibilis duo jugera contingeret. Hoc artificio duo aſſeqvebatur Simſon: primo temporis compendium erat, qvod milites materiam illam combuſtibilem uno tantum loco ſuccendere neceſſe

necesse habebant, nempe in medio, unde ad dextram pariter ac sinistram volvi flamma posset: qvo facto sese militum qvisqve statim recipere poterat in locum tutum, instar vulpis in foveam sese conjicientis. Deinde hac ratione ope trecentorum militum sexcenta Philistæorum jugera igni depascere potuit, cum qvisqve duo sibi sumsisset incendenda, atqve adeo irreparabile damnum inferre Philistæis. Non enim unum aut alterum agrum a Simsone incensum fuisse propitio textu dixeris, qvi ad vindicandam hanc injuriam Philistæos exercitum in tribum Judæ duxisse narrat. Pleriqve omnes ergo in partem illatæ injuriæ videntur venisse. Ita ergo instructos milites in segetem Philistæorum immisit ויבער אש בלפידים *& incendere jussit faces* i. e. materiam illam combustibilem apte & dextre prius collocatam. Nota hic Hiphil ויבער cujus Kal בער notat *succendit.* Ergo Hiphil notabit *succendere jussit.* וישלח פלישטים בקמות *postqvam ipsos immisisset, aut ire jussisset in segetem Philistæorum.* Hic ו apte vertitur per *postqvam,* ut solet: conf. Es. LXIV. 4. Sensus est: *Ita immissos in segetem Philistinorum succendere jubet materiam datam. Atqve ita Simson* ope trecentorum horum militum *depavit igne tam frumentum jam in acervos collectum, qvam segetem adhuc stantem, vineasqve pariter ac oleas.*

Qvid hic habes qvod desideres; annon satis speciosa est interpretatio? Annon facta est ad regulas Grammaticas & usum Scripturæ? Imo imperitis Hebrææ literaturæ hoc facile persvaserim. At ii; qvibus indoles Hebræi sermonis profundius paulo perspecta, insanire me dicerent, qvod tam absurdam interpretationem Lectori pararem obtrudere. Qvis unqvam legit milites vulpes dici in sacris, præsertim in textu historico? Qvis agros caudas habere? Qvis לפיד linum aut cannabim aut cinerem notare? Textus est historicus; gaudet ergo simplici loqvendi genere, ac fastidit non necessarios tropos. Qvæ me ergo ratio satis prægnans movere potest, ut in hoc textu abeam a proprietate literæ? Frustra exceperim: ratio mea hæc non capit: deserendus ergo sensus vocum vulgatior, & alius inqvirendus aut vocibus imponendus. Qvæso, si hæc ratio

tio valet, qvid non mutandum est in sacra historia? Noachus in una arca comprehendit millena animalium genera: Abraham trecentorum vernarum ope cecidit qvinqve Regum exercitum: Lothi uxor in statuam salis conversa: Israelitæ sicco pede transgressi mare rubrum, pasti frumento e cœlis depluente, aqva ex petra evocata. Sol stetit, &c. &c. Hæc & alia ejusmodi sexcenta occurrunt in sacra historia, qvæ ratio capere non potest. Simplice interim & plano stylo sunt consignata. Qvam injurius essem in textum, si tropos in eo venari vellem? Deinde non sufficit alienam excogitare significationem eamqve tropi colore ornare, sed reqviritur ut translatio illa Scripturæ usu comprobetur. At in data expositione hic prorsus deficit. Porro & hoc glaucoma est, qvod verbo וישמם sensum *jussæ positionis*; & verbo ויבער sensum *jussæ incensionis* implanto. Frustra versioni huic grammaticum colorem prætexo, Probanda ea usu Scripturæ est. At in Scriptura illud immediatam positionem, hoc immediatam inflammationem notat. Colore hoc detracto manifestum est cuivis, esse explicationem, qvam dedi, peregrinam & a vero sensu prorsus alienam.

* * * * * * * * *

CUm Tua, TÆGIADE, meletemata legit Apollo,
Hostibus indignans, hos dedit ore sonos;
Horto Scripturæ vulpes exesse jubentur,
Ut, qvi radices subruat, intret aper.
Vulpinas, Juvenes, sacris defendite fraudes
Fontibus, & jactis reddite tela globis!
TÆGIUS exemplo est, qvi spicula victor, UT ÆGIS,
Excipit, hostilis qvæ jaculata manus.

PRÆSES.